

Karls-Sequenz

(Aus dem Aachener Arnoldus-Graduale, Anfang des 13. Jahrhunderts)

Urbs Aquensis, urbs regalis,
regni sedes principalis
prima regum curia.

Regi regum pange laudes,
quae de magni regis gaudes
Karoli praesentia.

Iste coetus psallat laetus,
psallat chorus hic sonorus,
vocali concordia.

At dum manus operatur,
bonum quod cor meditatur,
dulcis est psalmodia.

Hic est magnus imperator,
boni fructus bonus sator,
et prudens agricola.

Infideles hic convertit,
fana, deos hic evertit
et confringit idola.

Hic superbos domat reges,
hic regnare sacras leges
facit cum iustitia.

Quam tuetur eo fine
ut et iustus sed nec sine
sit misericordia.